Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36448
Copyright: Melk, Benediktinerstift

ea

Quia igitur dictum est quod aqua et quid
domus significet. dicamus etiam cur hec aqua
sale misceatur. Cum enim salvator noster de baptis-
mo loqueretur. nullam salis mentionem fecit. Non
enim nisi quis renatus fuerit ex aqua salsa vel sale
mixta vel aliquid huiusmodi. Sed quid dixit.
Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu sancto non intrabit
in regnum dei. Id ipsum autem et de oleo et de cris-
mate dici potest. Sed de his alias. Interim
autem de sale dicamus. Sal enim in divino elo-
quio frequenter pro sapientia ponitur. Unde est illud. Ser-
mo vester sale sit conditus. Et dominus discipulis
Habete inquit sal in vobis. et pacem habete inter
vos. Itemque vos estis sal terre. Quod si sal
infatuatum fuerit. in quo condietur. Hinc etiam
secundum legem nulla hostia sine sale offertur. sed in
omni sacrificio ponitur sal. Unde manifestum
est quia sal pro sapientia ponitur. Sicut enim sapientia condi-
mentum est omnium virtutum. sicut sal est condimentum
omnium ciborum. Sed que sapientia. Non utique sa-
piencia mundi. que stulticia est apud deum.
sed illa sapientia de qua dominus ait. Confiteor tibi
pater domine celi et terre. quia abscondisti hec a
sapientibus et prudentibus. et revelasti ea par-
vulis. Sed si vis videre que sit ista sapientia.
Quam simplex quam facilis addiscendum. Ve-
niat enim modo aliquis ad hanc aquam. veniat nunc
aliquis ad baptismum. audiat habens sapientiam
gustet de hoc sale. Neque enim prius baptizatur aliquis
quam sale cibetur. Hoc enim omnibus notum est ad literam
dico. Infantibus ad fidem venientibus statim
in ore ponitur sal. ut quod actu habere non possunt
habeant vel significatione sacramenti. Interrogo
ergo aliquem hominem baptizandum. Credis
in deum patrem omnipotentem creatorem omnium visi-
bilium et invisibilium. Dicat. Credo. Credis
et in ihesum christum filium eius unicum dominum nostrum natum et passum.
Credo inquit. Credis et in spiritum sanctum sanctam ecclesiam ka-
tholicam sanctorum communionem. carnis resurrec-
tionem et vitam eternam. At ille. Credo. Bene
instructus est iste sapiens. et sufficienter sale
cibatus. Hoc est igitur sal quod miscetur aque
hec sunt prima fidei rudimenta. Sine his non
valet baptismus. Hoc autem dum dico nullum pre-
iudicium facio infantibus. et non dum intelligen-
tibus qui non sua sed aliorum fide baptizantur
et salvantur. Salvantur utique si vel prius ob-
ierint. vel ad etatem venientes fidem pro eis
promissam fideliter crediderint et custodierint.
Alioquin non valet eis baptismatis aqua. que
non est sale condita. De ysopo.

Dictum est itaque quod aqua quod sal. et
quid domus dedicanda significet.
Nunc autem superest ut de ysopo dicamus. cum
quo ecclesie parietes supradicta aqua spar-
guntur. Ysopus enim naturaliter in petra nascitur
Petra autem ait apostolus erat christus. Bona
herba ysopus que nascitur et renascitur et ra-
dicatur in christo. Per hanc enim et si tota fideli-
um multitudo intelligi possit. precipue
tamen illi per ysopum figurantur. qui in christo fi-
de radicati [et fundati] ab eius amore divelli et separa-
ri non possunt. Per quos quod melius quam episcopos
et presbiteros intelligere possumus. Qui quanto
maiorem in ecclesia optinent dignitatem. tanto
firmius christi fidei inherere debent. Et per
hos quidem spargitur aqua. et per hos et ab
his baptizantur christi fideles. His datum est
perficere baptismatis sacramenta. Nec illud
quidem pretereundum est. quod ter episcopus ecclesiam
circuit. et ter parietes aqua aspergit. Ap-
paret autem etiam hoc in figura baptismatis. Au-
di igitur quid suis discipulis dominus dicat. Ite
inquit docete omnes gentes. baptizantes eos
in nomine patris et filii et spiritus sancti. Hinc est igitur
quod sacri canones ter in aquam mergi precipi-
unt eos qui baptizantur. Quia itaque eccle-
sia non potest mergi in aquas. ter ab episcopo
circueunte aspergitur aqua. Vides ergo quam
bene omnia que superius dicta sunt. baptismi co-